

in extrema unctione dantur, et tamen est unum sacramentum: hæc enim unitas artificialium non est regulanda penes plures entitates in eis subjectas physice (hæc enim plurificantur materialiter) neque etiam existimandum est, quod ex pluribus illis relationibus consurgit una relatio entitative composita; neque enim in accidentibus talis datur compositio, quasi unum sit forma, et aliud materia, quia omnia accidentia formæ sunt; sed intelligitur compositio artificialis per subordinationem et dependentiam ad unum, quia in nullo subjecto ex illis datur relatio aut significatio, quæ non coordinetur, aut subordinetur alteri; sicut dicitur unus exercitus, et unus populus, et una domus, et unum convivium, et tamen in qualibet parte, aut entitate componente illud unum datur sua relatio, et ordinatio distincta; sed quia datur cum dependentia et subordinatione ad alteram, vel ad unum tertium, dicitur unum ratione unius subordinationis, licet sint plura entitative: et ita quando advenit ultima relatio, cum adveniat non absolute, sed subordinando sibi alias, et supponendo illas, talis relatio dicitur forma totalis, quia sub ipsa comprehenduntur aliæ, si quidem in tantum est ultima, in quantum supponit alias; sicut de unitate ultima numeri diximus in logica capite de quantitate.

XV. Cum ergo plures relationes concurrunt in aliquo artefacto et composito, dicuntur partiales et inadæquate, non physice et entitative, sed artificialiter et sacramentaliter, in quantum omnes illæ subordinantur uni fini, et coordinantur inter se in respiciendo illum. Exercetur autem perfectio et consummatio illius unitatis in ultima relatione illarum partium, in quantum supponit alias, et in illa ultima

completur adæquate habitudo et commensuratio ad talem finem, a quo specifica unitas sumitur, sicut plures superficies et relationes in illis subjectatæ habent unitatem loci ex unitate termini qui respicitur, scilicet distantia fixæ in universo. Cum autem dicitur, quod non constat hanc refectionem esse unam specificæ, sed sufficit quod sit una genericæ respondetur, constare quod sit una specificæ, quia præbet eandem gratiam cibativam, et eosdem effectus facit in anima tam una species, quam altera, quia eadem est in utraque specie, et eadem unio fit ad Christum ut contentum in una specie, et in altera: quod vero affertur de sacramento ordinis jam responsum est, quomodo sit unum in specie atoma.

DE UNITATE NUMERICA EUCHARISTIÆ.

XVI. Circa unitatem numericam eucharistiæ nihil S. Thomas in hoc articulo secundo expressit; fortassis quia cognita unitate specifica, facile videbatur unitatem numericam explicare, quia cum talis unitas sit materialis, et ex parte subjecti desumatur, hoc ipso quod explicatur unitas specifica in aliquo subjecto, manet explicata unitas numerica; quia tamen hoc sacramentum institutum est per modum convivii, et in convivio possumus considerare duplex subjectum, scilicet, quando permanenter est in mensa, ubi fercula præparantur; alio modo successive, prout est in ipso usu, et sumptione comedentium, adhuc redditur dubium, ex quo subjecto sumatur ista unitas, an ex ipso continente eucharistiam, an ex sumente.

XVII. Qui ergo existimant corpus Christi pertinere in recto et intrinsece ad constitutionem hujus sa-

cramenti, ex illius unitate desumunt unitatem numericam hujus sacramenti, quia ratione illius hoc sacramentum est panis vitæ, qui unus est. Et sicut si Verbum divinum assumeret plures humanitates, diceretur unus homo, ita corpus Christi conjungens sibi plures species sacramentales est unum sacramentum formaliter et per se, licet materialiter et secundum quid sint plura sacramenta, quantum ad visibile signum, et sic omnia sacramenta eucharistiæ in toto mundo sunt unum sacramentum substantialiter et formaliter, plura accidentaliter et materialiter, et sic dicuntur plures hostiæ, et plures species. Ita pater Suarez hic disputatione XL, sectione IV. Qui vero existimant sacramentum hoc in recto et intrinsece solum importare species consecratas; corpus autem Christi terminative et in obliquo, dividuntur. Quidam sumunt multiplicationem numericam ex multiplicatione physica, ita quod plures hostiæ seu formulæ sunt plura numero sacramenta: alii ex multiplicatione morali seu artificiosa, quia quando aliquis sumit plures hostias, non dicitur sumere plura sacramenta, nec datur sibi multiplicatio gratiæ, alias consulendum esset plures formas vel majores dari in communione.

XVIII. Omnes isti modi dicendi suas habent difficultates et inconvenientia. Prima sententia devorat illud inconveniens, quod omnes fideles sumunt idem numero sacramentum, et sumpserunt ab initio Ecclesiæ, quia sumunt idem corpus Christi; hoc autem neque habet usus Ecclesiæ et fidelium, neque congruit naturæ hujus sacramenti. Non habet hoc usus Ecclesiæ, quia manifeste nominat plura sacrificia, et plures missas, et plura sacramenta, ut quando diversi sacerdotes cele-

brant diversas missas, non celebrant idem sacrificium numero; nec dicitur eandem missam audire, qui plures audit, neque idem sacramentum sumere hodie, quod heri, quia nec datur idem effectus sacramentalis, sed diversus per diversam communionem: natura etiam sacramenti hoc exigit, quia est signum; unde unitas ejus in ratione signi debet sumi, et similiter multiplicatio. Esse autem plura signa visibilia in hoc sacramento, neque ipse Suarez negat, neque experientia id permittit. Secunda vero sententia non videtur fixum principium ponere pro unitate vel pluralitate numerica hujus sacramenti, quia ante sumptionem datur unitas, vel pluralitas sacramenti in altari, et ibi solum unitas, vel pluralitas, quia est una vel plures hostiæ physice; quando autem sumitur unica communione, etiamsi duæ vel tres hostiæ sumantur, non sumitur nisi unum sacramentum numero, quia nec dat nisi unam gratiam numero. Inconveniens autem est, quod non assignetur fixum principium individuationis, vel multiplicationis numericæ in aliqua re, in eodem genere et linea, in qua constituitur, scilicet in genere physico, vel morali, vel sacramentali.

XIX. Respondetur ergo, unitatem numericam hujus sacramenti non sumi neque ex sola unitate rei contentæ, quæ est corpus Christi; neque ex sola unitate, vel pluralitate physica (quia scilicet est una vel plures hostiæ) sed ex unitate vel pluralitate materialis sacramentalis convivii, quatenus in aliqua materia seu subjecto individuatur ipsum convivium, quodcumque illud subjectum sit; et ex multiplicatione materiali talis subjecti sacramentum numerice multiplicatur. Ratio est, quia ex eisdem principiis debet sumi unitas, vel multiplicatio indi-

vidualis in hoc sacramento, quibus sumitur in aliis formis, et concretis accidentalibus, sive naturalibus sive artificialibus, cum forma sacramentalis sit significatio ad placitum, quæ aliquid accidentale, et quasi artificiale est. Constat autem, quod in doctrina Peripatetica Aristotelis et S. Thomæ, quam late explicavimus in libris de generatione, quæstione nona, unitas vel multiplicatio numerica accidentium sumitur per ordinem ad subjectum, vel materiam: ergo similiter unitas numerica eucharistiæ, vel multiplicatio, debet sumi per ordinem ad subjectum, seu causam materialem hujus convivii, in quantum subjectum illius est, non ex sola unitate corporis Christi, quia est res significata, non signum ipsum, vel subjectum signi; constat autem quod eadem res numero potest significari multis et diversis signis vel imaginibus; ergo et corpus Christi multis numero sacramentis significari potest et contineri, quia sacramentum signum est; nec sola multiplicatio physica specierum aut formularum sufficit ad istam multiplicationem, quia contingit quod ea quæ sunt plura in genere physico, sint unum in ordine artificiali et sacramentali, sicut est unus exercitus ex pluribus hominibus, unum convivium ex multis ferculis, unus baptismus ex multis immersionibus, una extrema unctio ex multis unctionibus; ergo similiter potest esse unum sacramentum eucharistiæ ex multis formulis quæ ponuntur in altari, vel sumuntur.

XX. Solum restat explicare, quodnam sit hoc subjectum materiale individuans hoc sacramentum, propter rationem dubitandi positam, quia vel sunt ipsi suscipientes, quando sumitur sacramentum, vel locus ipse, aut res ubi ponitur, quando consecratur. Et dicimus, quod ex

utroque potest sumi ista unitas, vel multiplicatio sacramenti, secundum diversos status vel considerationes: ideoque diximus, quod individuatur ex quocumque subjecto convivii; semper tamen debet attendi, quod non pure sumatur ista unitas vel pluralitas ex sola unitate vel pluralitate in genere physico et entitativo, sed in genere artificiali et sacramentali, prout scilicet una, vel plures hostiæ subjiciuntur uni rationi convivii, id est, respectui ad unam instructionem vel sumptionem convivii. Videmus enim quod convivium in duplici statu habet unitatem vel pluralitatem; primo, quando instruitur vel præparatur, et ponitur in una mensa vel loco, potestque deinde dividi in plura: secundo, quando actu sumitur a comedentibus, et tunc etiam potest ex pluribus cibis fieri una numero refectio; vel e contra, ex unico cibo plures refectioes.

XXI. Neque est mirum, quod in istis rebus, quæ habent suam unitatem non in continuatione vel indivisibilitate physica, sed in respectu et ordine, possit tam facile ex pluribus fieri unum, vel ex uno plura, sicut in domo, et in exercitu, imo et in ipsis rebus naturalibus, ex una aqua possunt fieri plures numero, et ex pluribus una, solum continuando, vel discontinuando illam. Sic ergo sacramentum eucharistiæ, cum sit institutum per modum convivii et refectiois, ejus unitas numerica, vel multiplicando formaliter et per se loquendo sumitur ex unico principio, scilicet ex subjecto convivii; materialiter autem et determinate sumitur ex unitate suæ præparationis et celebrationis, aut ex unitate loci in quo ponitur, et aliis similibus circumstantiis, quando consideratur hoc convivium in actu primo (nempe quando instruitur et præparatur) et sic ponitur in

mensa unum convivium, et in altari unum sacramentum, quando ordinatur in actu primo ad unam refectioem, quæ tamen dividi potest in plures; quando autem convivium consideratur in actu secundo, et prout applicatur sumentibus, sumitur unitas ejus per ordinem ad unitatem sumptionis adæquatæ, licet illa constet pluribus hostiis, seu speciebus, quia tunc solum est unum numero sacramentum, si quidem dat unum numero effectum. Neque hoc est ponere principium individuationis incertum et non fixum. Est enim certum formaliter, scilicet, in ratione subjecti convivii; est vero multiplex materialiter, secundum diversos status et conditiones convivii; sicut etiam in aliis rebus artificialibus, et naturalibus accidit, ut diximus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXII. Sed instabis: Nam si quis consecret plures hostias, et non determinet quod ex illis fiant plures, vel una sumptio, vel quod fiant tot determinate, eritne tunc unum sacramentum numero ante sumptionem, vel tot sacramenta, quot particulæ. Item, quia est inconveniens ex sola ordinatione sacerdotis fieri unum, vel plura sacramenta; tum, quia illa ordinatio solum est aliquid rationis in sacramento: ergo non potest dare unitatem vel pluralitatem sacramento, quod est aliquid reale, cum sit signum sensibile; tum, quia sacramentum solum fit consecratione materiæ: ergo solum potest multiplicari, vel fieri unum per consecrationem, non per ordinationem extrinsecam, vel divisionem; sicut ob eandem rationem vinum mixtum calici consecrato non redditur consecratum, quia forma

consecrationis non cadit super illud.

XXIII. Denique sacrificium hoc, in ratione sacrificii habet unitatem numericam ex unitate corporis Christi, licet pluribus celebrationibus offeratur: ergo etiam habebit in ratione sacramenti propter eandem unitatem corporis Christi, licet pluribus speciebus significetur; quod explicatur exemplo supra allegato de Persona divina assumente plures humanitates, quæ solum diceretur unus homo; et habens plures albedines vel qualitates, dicitur unum album vel unum quale: ergo etiam dicitur unum sacramentum, licet habeat plures species vel significationes.

XXIV. Respondetur, quod in illo casu aliqui dicunt tot esse dicenda sacramenta numero, quot sunt hostiæ consecratæ, quia de suo ordinantur ad plures refectioes, licet postea possit ex pluribus fieri unum sacramentum ordinando illas ad unam refectioem. Sed instari potest, quia possunt esse particulæ valde minutæ, quarum quælibet non potest pro una communionem deservire: tunc ergo quot dicenda sunt sacramenta, si sacerdos nondum cogitavit de una, vel pluribus sumptionibus. Dicendum est ergo, quod hoc ipso quod sacerdos consecrat plures hostias per modum unius consecrationis, et ponit in eodem altari vel in eodem sacrario, cum aliis circumstantiis concurrentibus ad unitatem numericam, illud sacramentum est unum in actu primo, sicut convivium est unum, quando præparatur et ponitur in eadem mensa ante sumptionem; est autem virtualiter et in potentia plura sacramenta, et plura convivia, quatenus in actu secundo, id est, in ipsa sumptione potest multiplicari in plures sumptiones, vel refectioes: tunc enim id quod erat unum

in genere convivii, dividitur in plura, vel e converso; et ita sacramentum ante sumptionem dicitur convivium in sui instructione, et quasi in actu primo; in ipsa vero sumptione dicitur quasi in actu secundo, quia applicatur ad sumendum, non quod ipsa sumptio pertineat intrinsece ad sacramentum, sed quia ordo ad illam, qui est in speciebus consecratis facit unum, vel multiplex convivium, sicut ordo ad divisionem quantitatis multiplicat individua in corporibus.

XXV. Ad secundam instantiam dicimus, ordinationem extrinsecam sacerdotis, si solum sit mentalis et in intentione, nihil facere ad unitatem vel pluralitatem sacramenti: si autem sit ordinatio exterior consecrativa sacramenti, quæ præparat, ipsum convivium; vel distributiva, quæ ipsas communionem dividit vel facit, conducit talis ordinatio ad unitatem vel pluralitatem per modum causæ efficientis; sicut enim qui dividit aquam vel lignum, conducit ad multiplicationem individua per modum causæ efficientis, ita qui distribuit convivium vel præparat, conducit per modum causæ efficientis ad illius unitatem vel pluralitatem numericam; formaliter vero sumitur per ordinem ad diversa subjecta talis convivii. Quod vero dicitur, sacramentum solum fieri consecratione, non divisione vel ordinatione, dicimus consecratione fieri unum sacramentum in actu, et plura in potentia, seu virtualiter; quæ postea per divisionem materiæ consecratæ fiunt in actu plura in vi prioris consecrationis, quæ ad totam illam materiam se extendit; et divisio solum est conditio requisita, ut illa sacramenta reddantur plura in actu.

XXVI. Ad ultimum respondetur, quod simpliciter sunt plura sacrificia, et plures missæ, quæ diversis

celebrationibus fiunt. Licet enim res oblata sit eadem numero, tamen sacrificium non supponit pro ipsa materia oblata, sed pro ipsa actione oblativa, et immutativa rei oblatae in honorem Dei; et cum istæ actiones sunt plures, sunt etiam plura sacrificia: et eadem ratione sunt plura sacramenta, quia sunt plura signa. Exempla vero quæ adducit argumentum, conducerent si corpus Christi in hoc sacramento esset subjectum istarum specierum, vel significationis sacramentalis, quæ constituit rationem sacramenti. Cæterum subjectum hujus significationis sunt ipsæ species consecratæ, in quibus constituimus sacramentum eucharistiæ; et ideo multiplicatis speciebus in ratione signi sacramentalis et convivii, multiplicantur sacramenta.

ARTICULUS IV.

Utrum hoc sacramentum in re, vel in voto sit de necessitate salutis ad primam gratiam et perseverantiam?

I. Supponimus vulgarem illam distinctionem de necessitate medii et præcepti. Dicitur necessarium necessitate medii vel finis, quod ex natura sua, vel ex institutione divina requiritur ad obtinendam salutem, sicut ad gloriam requiritur gratia, et in adultis merita: et sicut ad gratiam requiritur dispositio in adultis (scilicet fides et pœnitentia) et pro omnibus baptismus. Dicitur necessarium necessitate præcepti quod licet ex sua natura, vel institutione non requiratur ad salutem, quia observatio mandatorum est necessaria ad salutem. Unde ea quæ solum ratione præcepti sunt neces-

saria, admittunt aliquando excusationem propter aliquas circumstantias occurrentes; quæ vero sunt necessaria necessitate medii, quacumque ratione aliquis careat illis, non salvabitur. Sicut si parvulus careat baptismo, ex quacumque occasione id fiat, non salvabitur; et adultus si careat fide, condemnabitur; si vero caret baptismo in re suscepto, potest salvari per actum charitatis, qui est baptismus flaminis, quia pro adultis non est necessarium necessitate medii, nisi baptismus in re, vel in voto, si non adsit copia baptizandi.

QUID SIT CERTUM, ET QUID DUBIUM.

II. Hoc supposito, certum est apud omnes, ipsam realem et sacramentalem sumptionem eucharistiæ non esse necessariam necessitate medii, neque ad primam gratiam, neque ad adeptionem gloriæ, neque ad perseverantiam, licet sit præceptum de illa pro adultis de præcepto, ut dicitur infra quæstione LXXX, articulo XI. Quod vero non sit necessaria necessitate medii, constat ex usu et traditione Ecclesiæ, tum in parvulis, tum in adultis. De parvulis extat definitio Concilii Tridentini, sess. XXI, cap. IV, ubi dicit quod parvuli, et usu rationis carentes nulla obligantur necessitate ad sacramentalem eucharistiæ communionem, si quidem per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum gratiam in illa ætate amittere non possunt: de adultis constat praxis Ecclesiæ, quod pueris jam habentibus usum rationis non datur communio, quousque perfectiorem usum rationis obtineant; similiter phrenetici et vomitum patientes, aut quodcumque peccatum indecentiæ habentes, eucharistiam sumere non possunt, etiam in mortis articulo: ergo sus-

ceptio eucharistiæ sacramentalis non est necessaria necessitate medii ad salutem, vel gratiam obtinendam.

III. Eadem ratione constat non esse necessariam sacramentalem sumptionem pro obtinenda perseverantia, quia si hoc modo esset necessaria, non possent parvuli, neque adulti (quibus Ecclesia denegat communionem) salvari sine illa, quia qui non habet perseverantiam amittit gratiam, et consequenter salvari non potest. Et deinde, quia hoc sacramentum ex sua propria ratione supponit vitam gratiæ in suscipiente, quia est sacramentum vivorum, et datur tamquam alimentum, cujus non est capax qui non est vivus: ergo ante sacramentalem sumptionem habet homo jus ad gloriam per gratiam: ergo si moriatur tunc, obtinebit illam; neque ad perseverandum amplius requiritur, quam non peccare mortaliter, quia solum per tale peccatum amittitur gratia; realis autem susceptio eucharistiæ non est simpliciter necessaria ad non peccandum mortaliter, quia multi non sumunt ipsam frequenter, et tamen non peccant mortaliter; ergo si in illo tempore quo non sumunt, moriantur, obtinebunt gloriam et perseverantiam, quia sufficit ad non peccandum mortaliter auxilium Dei protegentis, quod etiam per alia sacramenta et bona opera datur.

IV. Solum ob stare videtur illa auctoritas Joan. VI: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hæc enim verba tantam necessitatem significant, sicut illa Joan. III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed hæc verba intelliguntur de necessitate medii respectu susceptionis realis baptismi: ergo etiam priora intelli-